

D. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
*OBSERVATIONES*  
*CIRCA HISTORIAM DENARII*  
*PETRINI IN SVECIA,*  
*PROPOSITURA.*

---

CUJUS PARTEM PRIOREM,  
*Conf. Ampliss. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

*Mag. HENRICO GABRIELE*  
*PORTHAN,*

*Elogv. Professore Reg. & Ord. Eqv. Ord. R. de Stella Polari,*  
*R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquit. R. Societ. Sc.*  
*Upsal. &c. Socio,*

PRO GRADU

Publicæ disquisitioni subjicit

*HENRICUS JOH. MECHELIN,*  
*V. D. Min. Wiburgensis.*

*In Audit. Majori die VIII. Junii MDCCCI,*

Horis a. m. confvetis.

---

ABOË, typis Frenckellianis.

VIRO

ADMODUM REVERENDO atque PRÆCLARISSIMO  
DOMINO MAGISTRO

*JOHANNI MOLANDER,*

*Præposito atque Pastori Ecclesiæ, quæ Deo in Ilomantz  
& Eno colliguntur, meritissimo,*

FAUTORI atque PATRONO PROPENSISSIMO,

*Pietatem gratumque animum publice testaturus, pagellas bas:  
sacratas voluit, debuit,*

ADMODUM REVERENDI NOMINIS SUI

cultor devotissimus

HENR. JOH. MECHELIN.



## §. I.

Inter infinitas fere alias artes (*a*), pecunia credulos nostros majores emungendi, quas olim impudentia Curiæ Papalis adhibuit; sic dictus *Census* sive *Denarius beati Petri* eminent, genus tributi annui, ipsius quidem summæ magnitudine, quæ olim ex Patria nostra Pontifici Romano quotannis redibat, non maximum, sed antiquitate tamen commorable, necessaria perpetuaque illud pendendi lege grave, ac dominationis ab una parte superbæ, humiliisque ab altera obsequii specie turpe atque acerbum. Mature hoc onus fidelibus imponere con-

A

natos

---

(*a*) Quas acri imprimis perstringit calamo Nob. BOTIN *Beskrifn. om Svenska Hemman och Jord-Gods*, II Del. III Cap. 3, 4, 5 §. Neque eandem graphice depingere impudentem callidamque avaritiam neglit Nob LAGERBRING in *Hist. Regni Svec.* T. II. & III. passim.

natos fuisse Episcopos Romanos, constat, (b) simplicitate allectorum Christianorum, ex paganis tenebris in crepusculum novae superstitionis nuper translatorum, quibus callide persuaderi curabant, Cathedrae a Petro, Apostolorum Principe, constitutae singularem & venerationem & benignitatem ab omnibus fidelibus deberi. Prima autem vestigia succendentis eis ex sententia hujus consilii, annum tributum a Regnis populisque alioquin liberis eliciendi, in Historia Anglica reperiri, homines eruditи docent (c); quod exemplum alii deinde populi sensim imitati sunt. Neque tamen primo nisi spontaneum fuit subsidium, (quare etiam *Eleemosynæ* nomine solebat designari (d)), partim ad inopiam sublevandam juventutis literarum sacrarum discendarum caussa Romam profectae, partim ad res Ecclesiæ Romanæ (tanquam reliquarum parentis & principis) adjuvandas collatum atque illuc missum (e); quod succedente tempore ac fu-

per-

(b) Cfr. SCHROECKH *Christl. Kirchengeschr.* XIX Th. p. 135, & XXVIII Th. p. 76 sqq. Diss. de *Denario b. Petri*, hic Aboë, Praefide ALG. SCARIN, a. 1737 editæ §. VII sqq.

(c) Auctores proxime laudati. Cfr. DU CANGE *Glossar. ad Scriptores mediae & infrae Latinitatis*, voc. *Denarius S. Petri*.

(d) Vid. DU CANGE I. c. Cfr. ÖRNHJELM *Hist. Sveonum Gotborumque Ecclesiast.* L. III C. VIII §. 47 sqq.

(e) DU CANGE & SCHROECKH I. I. c. c.

perfusioſa Romanæ Sedis veneratione ſenſim aucta, debiti instar exigere atque etiam extorquere, Pontifices noa dubitabant: imperium non ſacrum tantum ſed etiam civile quoddam, in totum orbem Christianum ſibi arrogantes, cuius hunc quoque cenſum tanquam ſignum quoddam atque fructum ſpectari volebant (*f*). Ex originis autem ſuæ ratione evenit, ut aliis in populis atque terris alia hujus tributi pendendi obtineret conſuetudo, partim pro diuersa gentium fortuna, partim pro conditionibus diuersis quibus illud pendendum in ſe receperant (*g*), diſcrepans. In Svecia quo tempore, qua ex cauſa, quaue legē primum conſerri facer hic censuſ cœperit, accurate definire hodie ægre licet (*h*). Non pauci tempore jam *Regis Olavi Skautkonung*, ideoque mox inter ipsa initia Religionis Christianæ in patria noſtra dominantis, hunc morem (primitus admodum licet precarium) irrepſiſſe, haud abſurde diſputant (*i*):

A 2

quo-

(*f*) Cfr. SCARIN I. c. §. X, XI, p. 18 ſqq.

(*g*) In Anglia erat ſeveriſſimum & oneroſiſſimum, unde Pontifices ad eundem morem aliis quoque populis illud injungere tentabant, non æque felici ubique ſucceluſ, ut ex fequentibus apparebit.

(*h*) Cfr. SCARIN I. c. Diſſ. II §. VI, p. 39 ſq.

(*i*) ÖRNHJELM I. c. (Cfr. MESSENIUS Scord. Illuſtr. T. XV. p. 15, ad a. 1020. Argumentum autem, cui, ex cognomine Regis Olavi, (*Skautkonung, in ſinu geſtati, ob infantilem ſuam ætatem, cum Rex eli-*

quorum rationi non modo plerorumque primorum illorum Doctorum ex Anglia (ubi idem mos jam invaluerat), ortus atque ad nos adventus admodum favet, sed etiam auctoritas Capituli concinere videtur Upsaliensis, cui negotium exigendi hujus tributi Pontifex demandaverat, quodque literis ad hunc datis testatur: *Mox ut rex & incolæ regni ejusdem (Sveciæ) colla sua jugo fidei submiserunt, seipso constituerunt Sedis Apostolicæ censuales, censum qui dicitur Denarius b. Petri de foco quolibet annis singulis exsolvendo (k).* Sententia igitur virorum doctorum

geretur, ducto), idem, MESSENIO duce (*Scand. Illustr.* T. XII. p. 41) innititur, putans paganos eum, ob tributum hoc Papæ Romano concessum, per contumum vocasse *Skotkonung*, quasi *Tributarium*, totum inane atque fictum est. Neque SCARINI disputatio (l. c. Diss. II. §. VII. p. 41 sqq.) quidquam huic hypothesi addit ponderis. Cfr. A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo Gotb.* Sect. I. p. 34, qui merito ad consensum monumentorum antiquiorum, contrarium doccentium, provocat.

(k) Vid edita a Dn. Præside *Accessio ad Recensionem Celsianam Bullarii Romano-Sveo-Gotbici*, p. 126. Nec scio an hæc commode referri possint ad gesta Cardinalis Albanensis, & Concilium Lincopense, selseculo antequam hæc scriberentur celebratum; postquam inde per selseculum iam Rex & magna pars Populi Christianam fidem professi fuerant? nisi tum demum, cum Hierarchiæ ratio per decreta ih-

rum (*l*), qui opera demum Cardinalis Albanensis, atque in Concilio five Comitiis Lincopiæ circa medium seculi XII congregatis, hoc tributi genus fuisse in Svecia primo constitutum asserunt, ita fortassis est temperanda, ut in eo denique concilio, solenni quodam populi Sveo-Gothici consensu vetus mos fuerit confirmatus? Valde igitur a vero aberrant, manifestissimisque rerum testimoniiis repugnant BAAZIUS (*m*), & BANKIUS (*n*), qui patriam nostram turpe hoc Paparum jugum passam omnino non fuisse, contendunt (*o*); neque minus (ut in sequentibus docebuntur)

A 3

lius concilli stabiliorem nancisceretur formam, eosdem colla sua jugo fidei submisso, satis profecto ingenuæ, auctores Epistole significasse, existimes? Quum jam a 1140 Papa Paſchalis II, Archiepiscopum Lundensem admonuerit de more census b. Petri pendendi, per aliquod tempus in Dania intermissio; ægre credas, nihil fuisse in Svecia de eo exprimendo, ante a 1152 tentatum? Ac ipsa illa differentia insignis, quæ inter rationem tributi hujus in diversis Regni provinciis pendendi obtinuit, indicare viderur, non eodem tempore, aut communi decreto, fuisse introductum.

(*l*) Vid. LAGERBRING I. c. T. II. C. V. §. 115. A CELSE I. c. p. 34. §. XXVIII.

(*m*) Inventar Ecclesiæ Sveo-Gothb. L. I. C. XII. p. 144.

(*n*) LAUR. BANCK de Tyrannide Papæ, p. 418 sqq.

(*o*) Cfr. SCARIN I. c. Dis. I. §. IV. p. 30 sqq. & NET-

tur) hallucinatus fuit vir doctissimus, qui illud gravius majorum nostrorum quam vicinorum Danorum incubuisse humeris, existimavit (p).

## §. II.

Quod ad magnitudinem pecuniae attinet, a cibibus, hujus census nomine, olim pendendae, eam hodie non est facile definire. Multis quidem constat certisque testimoniiis, non ut in Anglia (a), ab homine quovis, (quem morem apud nos quoque Pontifices, sed frustra, introducere tentarunt (b),) sed

TELBLADT *Diff. de Episcopis Regni Saxonici Romano-Catholicis*, in EJUSD. Schwed. Bibl. P. III, §. X.

(p) SPITTLER in *Diff. de Regnis septentrionalibus Sedi Romanæ olim censualibus*, (a R. Societate Scientiar. Daniae præmio ornata); cfr. SCHROECKH. l. c. T. XXVIII p. 78.

(a) DU CANGE l. c. idoneis docet testimoniiis, ibi neque Regem, neque Archiepiscopum, vel Episcopum, vel Priorem, aut quemlibet de regno ab ejus solutione fuisse immunem; dare autem debuisse unumquemque qui haberet feminam, unum Denarium, & qui non haberet, unum Obulum, præter Francalanos (h. e. ut in hac voce, idem explicat, qui liberum tenementum possiderent).

(b) Sic commiserat Papa Archiepiscopo & Capitulo Upsaliensi, ut Denarium a quolibet humano capite exigerent; cui illi morem leniorem, in hoc regno receptum, opposuerunt. Cfr. A CELSE l. c. p. 121, &

sed a quovis patrefamilias (c), neque illo nisi fundi simul possessore atque agrum colente (d), Denarium hunc quotannis fuisse solvendum. Sed qualis num-

LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII §. 18. p. 402. Itaque temere MESSENIUS l. c. affirmat, Anglorum exemplo apud nos quoque obtinuisse, ut "per universas regni ditiones quilibet homo, trium marcarum, praeter vestes & arma, possessor, unum quovis anno contribueret nummum." A quo in eundem errorem se induci paullus fuit SCARIN l. c. Diff. III. §. 3. p. 7.

(c) De foco quolibet (hvarje Röf?) ut habent Literae Capituli Upsaliensis, (ad Papam Johannem XXII, circa initium seculi XIV, datae) supra citatae ex Access. ad Recens. Bullar. Celsianam, p. 126.

(d) In responso igitur Archiep. Hemmingi & Capituli Upsaliensis ad Actionem Jobannis Guilaberti (vid. LAGERBRING & A CELSE l. l. c. c.) dicitur, "quod Rustici, qui in dioecesi Upsalensi colunt & seminant in anno denarium integrum monetæ in regno currentis solvant, (LAGERBRING l. c. p. 403, not. 2 habet clarius: "dant & conferunt in illo anno pro se & tota familia suæ Domus unum denarium integrum monetæ in regno Sveciæ communiter currentis"), quamvis in aliis suæ dioecesis provinciis (LAGERBRING planius & commodius, an ad fidem exempli originalis accuratius? "quamvis in aliis dioecesibus Provinciæ Upsaliensis"), non conferant nisi Obulum, sive medium denarii dictæ monetæ; aliis vero qui non colunt nec seminant, non conservasse (LAGERBRING commodius: "alii vero . . . non conservaverunt") dare &

nummus quantique pretii is fuerit, dubium videtur. *Ortugam* (*Ortug*) sive tertiam *Ora* (*Ore*) partem, vulgo *Denarium* Latine olim fuisse vocata, satis constat (*e*); quæ hoc semper nomine apud BRENNERUM inde significatur (*f*). Tales *Ortugæ* XXIV *Marcam Argenti* (*Thalerum* fere *Imperialem* hodierum) circa medium seculi XV valore æquabant, antiquioribus temporibus multo majoris, recentioribus autem minoris erant pretii (*g*). Cujusmodi Denarii pars dimidia, *Semidenarius* vel *Obolus* (*Half-Ortug*, *Fyrk*) audiit, octava autem pars (cujusmodi XXIV *Oram*, CLXXXII *Marcam* implebant), *Penningus* (*Penning*) dicebatur (*h*). Hujus igitur valoris Denarius (*Ortuga*) si quotannis pendebatur, (z) circiter hodierni nostri Skillingi, medio seculi XV, antea

*stum censum.* Inquilini itaque, operarii atque opifices omnis generis, ab hoc tributo solvendo erant immunes. Urbium incolæ, agris carentes, nondum multi in Svecia reperiebantur.

(*e*) BRENNERI *Tbesaurus Nummorum Sven-Gothicorum*, Praef. pag. penult. "Ortugæ, quos nummos olim nostrates Latine vocarunt Denarios".

(*f*) In opere laudato.

(*g*) Cfr. BOTIN *Jämförelse imellan mynts och varors värden i Sverige* (Stockh. 1771) & HALLENBERG *Hist. Afb. om Mynt och Varors värde i Sverige under K. Gustaf I:s Regering*, (Stockh. 1798).

(*b*) Vid. BRENNER, BOTIN & HALLENBERG l.l. c.c.

antea plus), grave sane pro illorum ratione temporum atque in illa pecuniæ raritate, erat tributum (i).

### §. III.

Sed alium longeque minorem Denario (a) huic valorem tribuit ÖRNHJELM, qui ea voce *Pennin-*  
B *gum*

(i) Hoc in primis ex mercium aliarum cum pecunia estimari potest collatione. Sic observat BOTIN, in Legge Dalica, *Anserem Semi Penningo, Vitulum qui octiduum ætatis impleverat Penningo æstimari* (l. c. p. 9); initio seculi XIV, (circa a. 1335), *Vacea 12 Oris, Ovis 1 Ora cum triente (8 penningis), libra Butyri & Carnis Suillæ 3 penningis emebatur, &c* s. p. (ib. p. 20 lq.) *Denarium tamen S. Petri, quem apud Anglos singuli homines pendere cogebantur, ipse asserit LAGERBRING* (l. c.) *valore nummos (nuperos) VI Orarum æquasse;* cui si Denarius nostrorum Petrinus æquipollebat, totus ejus huic rationi superstructus de multitudine incolarum in Svecia olim viventium calculus atque disputatio, ibidem legenda (nec alioquin firmissimis, pro nostro quidem judicio, nixa fundamentis), corruit. Neque mirum videbitur, si tantæ hic census fuit gravitatis, eum reluctantius, neque aut constanter aut accurate satis, fuisse solutum.

(a) Cujus vocabuli, ut plerorumque aliorum ad veterem rationem pecuniariam significandam adhibitorum, admodum varium fuisse usum negari nequit;

gum (24 partem Oræ) significari autumat (b), *Ortugam* vero *Solidi* nomine (neseio an veterum confuetudini satis convenienter?) appellat (c). Favet huius rationi, quod Ortugas non ante medium seculi XIV eudi cœpisse, antiquitatum nostrarum consulti docent; ad quam usque ætatem nullam fere aliam pecuniam quam Penningos (& Semi-Penningos) in patria fuisse signatam, observant (d). Neque omnino inepte ad eandem rationem confirmandam adhiberi queat locus ex Epistola *Osteni* Episcopi Afloensis, apud PONTOPPIDANUM legenda (*Annal. Ecclesiae Dan.* T. II. L. V. C. 2. p. 248) qui a. 1395. ad suos scribit Norvegos: "Curate omnes, ut tributum Romanum pendatis, unusquisque qui Eucharistiam accedit (e), numeratum nummum minimum qui ex in-

clude:

adeo ut fæpe nonnisi quemicunque, in genere, nummum significasse videatur?

(b) Cfr. EJUSDEM *Hist. Ecclesiast.* L. IV. C. VII. §. 17. p. 559. Cum eo facit LAGERBRING I. c. T. II. C. XIII. §. 18. p. 402.

(c) Ægre saltem quidquam ad sententiam suam confirmandam roboris ex literis Archiepiscopi Stephani ibidem (p. 558) legendis accedit, qui per *Marcas* & *Solidos* numerat, sed apud quem *Solidus* sine dubio *Oram* significat?

(d) Cfr. BRENNER I. c. p. 15, & Tab. V; nec non BERCH *Beskrifning öfver Svenska Mynt*, p. 25.

(e) Docent haec verba, acerbius in Norvegia (ubi vinci-

"cude Regia decidit; hanc pecuniam Sanctus Petrus  
"qui Romæ est, possidet, ideoque tributum Roma-  
"num (Denarius S. Petri) vocatur". Mira autem  
videatur, (nec fortassis nisi ex diversitate temporum  
& conditionum, quibus censum hunc sibi imponi  
passi sunt, explicari potest) magna illa diversitas,  
quæ in illo pendendo inter incolas provinciarum diver-  
sarum Patriæ obvenit: quorum alii, ut trium *Folklandiarum*, (Thiundaland, Attundaland & Fjärdundaland)  
h. e. *Uplandice*, habitatores, duplo plus quam reli-  
qui solverunt (f), alii autem, ut incolæ *Helsin-*  
*giæ*

B 2

tim illud pendere debebant) quam in Svecia exactum  
hoc fuisse tributum, contra quam nonnulli putarunt  
viri eruditæ.

(f) Quam rem satis illustrat locus ex responso Archiep.  
& Capituli Upsaliensis contra *Guilabertum*, nuper ad-  
ductus (§.II. Not. (d)). Præter *Gothiam* (Dioceses *Scarensen*, *Lincopensem* & *Wexionensem*) neque in Svecia  
*Strengnesensem* & *Arosensem*, (quamvis Episcopi, etiam  
in his, ab incolis integrum Denarium exigerent), nisi  
dimidium voluisse Romam mittere, ex querela *Nicolaï Sigvasti*, Canonici Upsaliensis simulque Exacto-  
ris Apostolici, patet, qui in Epistola ad Papam sæpe  
commemorata, scribit: "Duo sunt ibidem (in Svecia)  
"Episcopatus, videlicet *Strengnesensis* & *Arosensis*, de  
"quibus non potuit babere nisi dimidium denarium usu-  
"alem, Episcopis prætentibus, quod ipsorum Ecclesiæ  
"plus exsolvere non conservaverant ab antiquo. - - -  
"Sed quoniam in tali exsolutione fraudem reputamus

giæ (g), & verisimiliter Finlandiæ (h), omnino nihil dederunt (i).

§ IV.

"factam legi, & Sedem Apostolicam læsam in tanto,  
"quod esse non debet, præsertim cum tantum levent a  
"laycis illarum Dyoceſium, quantum alii, qui integrum  
"denarium exhibent &c." (Vid. *Access. ad Rec. Bullar. Cel.*  
*sianam*, p. 124). Neque Gothicarum Dioceſium, ne-  
que Aboënsis, hic ulla fit mentio. An quia, licet  
neque illarum Episcopi nonnisi dimidium denarium,  
aut adeo nihil, Papæ darent, tamen *fraudem facere*  
*legi* (*obligationi in se receptæ*) dici non possent, quia  
nec plus a dioceſianis suis exigerent? Vel num vo-  
cabulum alii plures quam Upsaliensem respicere An-  
tistitem (quique igitur & illi integrum solvebant de-  
narium) existimari debet? Probabile sane videtur, per  
totam saltem *Sveciam*, (proprie sic dictam) eandem  
olim obtinuisse tributi hujus solvendi rationem; &  
quod Episcopi Strengnesensis & Arosiensis nonnisi di-  
midium Papæ concederent reliquam partem Ecclesi-  
arum suarum Cathedralium usibus referentes), cum  
Denarii tamen Petri nomine integrum a laicis exi-  
gerent, abusum prodere, & audaciam illis tempori-  
bus insignem? Quod de Lincopensibus fatis constat  
ex monumentis infra allegandis, id de Scarenibus ex-  
querela ejusdem quem nuper nominavimus *Nicolai*  
*Sigvasti*; (l. c. p. 126 fq) appetet, nempe eosdem e-  
tiam Denarium S. Petri solville: idemque de Wexion-  
nensibus existimandum est?

(g) *Norrlandiæ nostræ* incolas, a censu hoc solvendo  
omnino fuisse immunes, ex testimonio Archiep. &  
Capituli Upsaliensis ad actionem Johannis Gailaberti,

## §. IV.

Mediocrem admodum summam ex hoc censu ad Cameram Apostolicam (ut ærarium suum Pontifices

B 3

Ro-

supra commemoratam (cfr. LAGERBRING I. c. p. 403, Not. 2. & A CELSE I. c. p. 101, N:o 18) liquet; ubi dicitur: 'Est autem quædam regio in dicta diœcesi Upsalensi, quæ vocatur *Helsingonia, Angermannia & Fampcia*, quæ nunquam consvevit dare aliquid pro dicto censu, nec aliquid fuit exactum ab eisdem.' Ex adductis a LAGERBRINGIO I. c. C. XIV. §. I. Not. 4. Literis Papæ *Gregorii IX.* (cfr. A CELSE p. 65, N:o 13), quibus jubet Decimas ab Helsingis sibi debitas (quas cum illi solvere denegassent, Archiepiscopus Upsal. in suppletionem ipsarum, Papæ quandam transmisserat pecuniæ quantitatem) accurate & severè exigi; colligi fortasse possit, harum decimarum Papalium nomine, ab incolis hujus provinciæ peculiariter solvendarum, illos a censu pendendo Petrino fuisse exemptos? aut illas hujus loco fuisse iis impositas? (quod suspicari LAGERBRINGIUS videtur I. c. p. 415). Sed primo, hujus rei in Apologia Archiep. & Capituli Upsal. sæpe laudata, nulla fit mentio; deinde respici, probabile videatur, vicefiam decimarum quam pendere (in subsidium recuperandæ Terræ Sanctæ) atque ad Papam transmittere, ex decreto Concilii Lateranensis tota Ecclesia Latina debuit, quamque Clerus Helsingicus erogare fortassis recusavit?

(b) In Rationibus Receptorum per Joannem de Serrone — & Bernardum de Ortak (Hortulis?), Nurios Apostolicos

Romani vocabant) rediisse, vel ex supra dictis colligi potest. Neque vel totam pecuniam hoc nomine colle

---

& Collectores (ab a. 1316 ad 1319) in Norvegia, Svecia & Gocia &c quorum exemplum ex Codice Archivi Vaticani descriptum, Generosiss. Dn. FREDEHEIM, Bibliothecæ R. Acad. Aboënsis dono dedit, (vid Præf. Accessionis editæ a Dn. Præside ad Rec. Bullar. Celsianam), docetur: Fratrem Goshalcum, Lectorem Fratrum Prædicatorum Fenniaæ (Finlandiaæ), quem Nuntii iidem ad hoc negotium in Finlandia gerendum adhibuerant, testatum, illis non renuentibus, fuisse: *De Denariis S. Petri nihil colligi in dicto Episcopatu* (Aboënsi). Cfr. dictæ Access. ad Rec. Bullar. Celsianam p. 132, & Annott. ad Juusteni Chronicon Episcopor. Finland. p. 789 sq. Neque exacti hinc illius tributi, ulla apud nos vestigia hactenus reperta sunt.

(i) Credas harum terrarum incolas, cum primum census ille Svecis imponeretur, partim nondum fuisse Christianam fidem amplexos, partim conditionem eorum tenuiorem visam, quam ut hoc onere gravari deberent? Postea autem, Decimaru[m] pendendarum necessitati, quam Clerus in primis urgere haud neglexit, populo reluctanti eum addere, minus visum fuisse consultum? Præterea, aliis inventis reddituum generibus, magis fructuosis, Curiam Romanam minoris hunc censum habuisse momenti; nec posteriores doctores adeo de Sedis Romanæ augendis redditibus fuisse sollicitos, ac primos illos ex Anglia missos huc Apostolos existimes, quos ipsos tot impositis oneribus, quot eorum successores, illa nondum gravayerat.

collectam Pontifici cessisse, vel accurate & constanter illam semper fuisse a nostris exactam & transmissam, credere licet. Caussa enim est putandi, tridentem ejus *Fratribus Hospitalis Sancti Johannis*, hic, ut in Dania olim cessisse (a). Romam vero ne quotannis promte & diligenter mitteretur, cum locorum intercedinem atque itineris difficultatem impeditivisse putandum est, (Tabellariorum publicorum, Commerciorum & Cambii ratione expedita, quæ hodie obtinet, nondum inventa atque constituta), tum frequentes bellorum ac seditionum procellas, internam Reip. tranquillitatem subinde turbantes (b).

Qua-

(a) Nicolaus Sigvasti, loco supra citato, p. 125: "Scio,  
"inquit, quod in Lundensi & Roskildensi Dyocesisibus,  
"solvuntur tres obuli, quorum unum levant Fratres Ho-  
"spitalis Sancti Jobannis, & duo, prout audivi pro-  
"vero a veridicis, Ecclesiae Romanæ debentur, & si-  
"militer nobiscum (apud nos?) Fratres prædicti partem  
"levant, Consvererunt enim illa tria regna in talibus  
"ad similia judicari."

(b) Idem ibidem: "Noverit Sanctitas Vestra, quod De-  
"cimæ Terræ Sanctæ indistæ - - - collectæ sunt &  
"servantur in moneta usuali, nec possunt subito uti-  
"liter commutari, quia caristia auri & argenti est i-  
"bi, sed modo præcipue propter guerratum commo-  
"tiones omnia devastantes, quæ ibi favierant multis  
"annis, - - - & ideo de ipsarum commutatione  
"& deportatione major difficultas ingeritur, præcipue  
"quia Rex terræ (*Magnus Erici*) puer est, & princi-

Quare saepe de tarda nimis hujus tributi vel exactio-  
ne vel transmissione questos fuisse Pontifices, repe-  
rimus, atque de pecunia collecta in Italiam tuto  
transferenda consilia dedisse (*c*); quin peculiares tan-  
dem Exactores atque Nuntios, ejus impetrandi at-  
que apportandi causa hac in septentrionem Roma  
misisse. Primo quidem colligendae ejus cura, hic ut  
in Anglia (*d*), ad Presbyteros Parochiales & cujus-  
que Dioceseos Episcopos pertinuit (*e*). Deinde au-  
tem

"pes communiter dominantur, incidentes singuli in  
multitudine nimis gravi, & ex hoc plurimum vacil-  
lat Regni gubernaculum, nec Prælati ibi aliquam i-  
bidem jurisdictionem obtinent temporalem, & mul-  
ti Nobiles sunt egentes, ac propter guerras ad insi-  
diandum & rapiendum expositi jugiter & parati." At-  
que infra (p. 126): "Canonici Skarenſis Ecclesiæ, cum  
dudum ex mandato - - - Archiepiscopi & Capituli  
Upsalensis Denarium S. Petri ad Upsalensem Ec-  
clesiam deferrent, assignandum eisdem, fuerunt statim  
antequam duas leucas peregriscent, summa totali  
quam ferebant & rebus aliis ac equis in itinere spo-  
liati." Cfr. ibid. p. 78.

(c) Cfr. ex. g. *Access. ad Recens. Bullar. Celsianam*, p. 56  
sq. 112,

(d) "Colligebatur in festo Vinculorum S. Petri - - -  
a Prælatis ipsis, ut liquet ex Innocentii III. Lib. XVI.  
Epist. 173." DU CANGE l. c.

(e) *Nicolaus Sigvasti* l. c. p. 124: "Simile inveni in Da-  
cia, scilicet quod a rusticis solvit & per Presbite-

tem cum incommodius videretur, hanc molestiam, censum Dicecium suarum Romam mittendi singulis injungere Episcopis; uni alicui negotium symbolas reliquorum colligendi, & consecutam inde summam ad Sedem Pontificiam transmittendi, committere consultius videbatur. Hanc curam Episcopo *Arosiensi* (ita ut munere quodam ordinario *Collectoris generalis*, sive *Sedis Romanae in Sveonia perpetui Commissarii & Thesaurarii*, defungeretur), in patria olim incubuisse, viri doctissimi afferunt (f); frustra, ut nobis quidem

C vide-

ros parochiales colligitur; collectusque defertur ad Ecclesias Cathedrales." In Bulla Papæ *Anastasii IV* ad *Episcopos Svecos*, medio seculi XII data (quaꝝ una cum Papæ ejusdem literis ad R. *Svercherum Senorem* eodem tempore exaratis, antiquissima sunt monumenta in quibus *Denarii* hujus *S. Petri* fit mentio) monet eos, "ut censum quem regnum & populus b. Pet-  
tro annuatim statuerat solvendum, quisque de suo E-  
piscopatu annis singulis colligere & Sedi Apostolicæ  
transmittere fideliter studeat." Habetur apud MES-  
SENIUM *Scondiae Illustr.* T. XII, p. 93 sq. Cfr. A  
CELSE I. c. p. 34, N:o 2. Similiter in Epistola alte-  
ra ad R. *Svercherum* & universos Proceres Svethiæ  
missa, scribit: "Censum autem quem in argumentum  
"devotionis vestræ b. Petro de terris vestris persolven-  
"dum annis singulis statuistis, fratribus nostris Episco-  
"pis tribui faciatis, ut per eos Sedi Apostolicæ transmit-  
"tatur." Exhibit eam ÖRNHJELM I. c. p 452 sq.  
Cfr A CELSE I. c. p. 34, N:o 1.

(f) MESSENII auctoritatem secuti (qui hoc pluribus lo-

videtur. Ex monumentis enim superstibus patet, hoc officium per Regna Daniae & Sveciae administrandum a Papa Innocentio III (initio seculi XIV) commissum fuisse Andreæ Archiepiscopo Lundensi (cf. A CELSE, l. c. p. 49 sq. N:o 7); cui opem in hoc negotio perficiendo Archiepiscopus Upsaliensis tulisse videtur, (vid. Epistola Ejusd. Papæ ad omnes incolas Dioecesis Upsaliensis, 13 annis serius data, A CELSE l. c. p. 54. N:o 23). Eadem curæ P. Honoriū III, deinde præfecisse Episcopum Arosiensem, ex literis illius discimus (A CELSE l. c. p. 58. N:o 14). Postea autem fuisse idem hoc munus creditum Archiepiscopo Upsaliensi, ex literis videmus ad eum P. Clementis V (initio seculi sequentis XIV datis), quibus de ratione reddenda pecuniæ hujus a se collectæ, & ea secum, ubi ad Concilium generale veniet apportanda, monetur (A CELSE, l. c. p. 104) (g).

Ab

(c) afferit Second T. II p. 7, XII p. 125, XI p. 41) SCARIN l. c. Dist. III, §. IV, & A CELSE l. c. p. 34, N:o 2. (qui ad Bullam Papæ Honorii III, 3 Non. Jan. 1221 dat provocat) aliisque hoc urgent. Ex Bulla autem illa Honorii nihil aliud liquet, nisi tum temporis, (ut alias aliquoties) fuisse hanc curam Arosiensem demandatam Episcopo, quæ deinde quibusdam aliis similiter fuit commissa.

(g) Vi hujus mandati, Archiepiscopus Styrberno Episc. Strengelensi sub excommunicationis censura injunxit, ut Denarium Petrinum per suam Provinciam collectum, intra mensim apportaret; quod cum factum

Ab eodem Archiepiscopo ejusque Capitulo, hujus collecti census rationes exposcebat etiam triennio post P. *Johannes XXII* (A CELSE l. c. p. 107. N:o 5 & 6, cfr. p. 108 N:o 11 & 12) (h); nec minus *Johannes Guilaberti* (Nuncius & Collector Apostolicus), medio ejusdem seculi, ab Archiepiscopo & Capitulo Upsaliensi (nulla facta *Arosensis* Episcopi, aut ullius suae de hoc negotio curae, mentione) ejusdem Census rationes severe exigebat (A CELSE l. c. p. 121. N:o 18). Anno 1382 *Nicolaum* Episcopum Linco- piensem munus gessisse reperimus *Nuncii* & *Collectoris Sedis seu Cameræ Apostolicæ in Regno Sveciæ, specialiter deputati* (Vid. NETTELBLADT Schwed. Biblioth. P. III. p. 234); & anno demum 1396 *Nicolaum* Episcopum *Arosensem* hac eadem dignitate *Apostolicæ Sedis Nuncii atque Collectoris rursus reperimus*

orna-

---

non fuisse, minasque suas ille implevisset, occasio- nem hoc dedit Canonicis Strengensibus, Epistola ad Archiepiscopum missa protestandi contra immis- sari ipsiis, quod censum illum non erogassent, ex- communicationem: regerebant nempe, se hujus debiti antea non fuisse admonitos. (Vid. A CELSE l. c. p. 113, N:o 28). Videtur idem abusus in causa fui- se, de quo querentem supra *Nicolaum Sigvasti* audi- vimus.

(b) Ex hujus literis cum ad Regem tum ad Electum & Capitulum Upsaliense colligas, ægrius homines hoc tributum soluisse;

ornatum. (A CELSE l. c. p. 153). Vestigalibus autem Curiæ Romanæ ex Svecia coactis sensim crescentibus, atque ut simul accurate atque tempestive magis in Cameram Apostolicam apportarentur, operæ pretium visum fuit, peculiares hoc consilio *Nuntios* atque *Collectores* huc mittere (*i*): quorum nomina haud pauca, monumenta nostra vetera conservarunt.

---

(*i*) Qui adjungebant sibi in hoc negotio non modo Episcopos & Capitula, sed alios quoque adjutores & Sub-Collectores; cujus generis Procuratores, nostrates quoque Antistites, quibus hæc provincia ceslerat, adhibebant: talem fuisse laudatum a nobis saepius *Nicolaum Sigvasti* reperimus (vid. A CELSE l. c. p. 108, N:o 11 & 12, & *Access. ad Recensionem hanc suam Bullarii* p. 124 & 131.)

